



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Capitvlvm I. Ex litteris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

## Dilecti.

## PARAPHRASIS.

Prior & Conuentus S. Mariæ ad carceres impetrârunt à Sede Apostolicâ rescriptum super debito pecuniario contra fratres Ecclesiæ de Hispidâ: isti comparentes coram Iudicibus delegatis, excipiendo dixerunt, quòd respondere non teneantur, eò quòd in libello expressum non sit, ex quâ causâ pecunia illa deberetur: sed cùm Iudices exceptionem hanc admittere nolent, illi appellârunt. Eo cognito Greg. IX. respondit, si ita res se habeat, vt narratur, quæ post appellationem acta sunt, irrita esse oportere.

## SUMMARIVM.

1. In libello actionis personalis exprimenda est causa debiti; aliàs reus respondere, & litem contestari non tenetur.

2. Consultum est, vt libellus citationi inferatur, licet non sit necessarium.

**N**O T. vn. In libello actionis personalis exprimenda est causa debiti, quia v. g. mutuo datum, aut venditum fuit; alioquin reus respondere & litem contestari non tenetur, quâ de re dixi in c. *Dilecti. 6. de iudic.* Hic autem quæritur, vtrum libelli copia vnâ cum citatione reo à Iudice transmitti debeat, seu, num tenor libelli literis citationis inferendus sit, negatiuè DD. respondent. *Bart. in l. Inter accusatorem. n. 2. De publicis iudiciis. gl. fin. in Clem. 2. vt lite pendente. Gal. lib. 1. Obseru. 51. Felix. inc. 1. n. 2. hoc tit.* Verum tamen consultum est, vt libellus citationi inferatur, partim ne alioquin, si reus non instructus adueniat, nouæ ipsi delationes concedendæ sint, vti notauit gl. partim quia libelli traditio facta reo litem pendendam inducit, vt ex eo tempore circa rem petitam nihil innouandum sit, vti colligitur ex *cit. Clem. 2. juncta gl. verb. plenè.*

## TITVLVS IV.

## DE MUTVIS PETITIONIBVS.



Cecidit interdum, vt postquam reus petitionem ac libellum iudici, & per hunc reo obtulit ad conuentionem eius, reus vicissim factâ petitione seu oblato libello conueniat actorem, quamobrem hic agitur de mutuis petitionibus seu reconuentionibus.

## CAPITVLVM I.

## Ex litteris.

## PARAPHRASIS.

Plebanus & Clerici Maturenses à Papâ impetrauerant rescriptum ad Iudices contra Abbatem & Conuentum Monasterii Maturensis super quibusdam controuersis; eo oblato rescripto, Abbas & Conuentus

vicissim capitula proponebant, ad quæ Plebanus & Clericos respondere sibi coram eisdem delegatis Iudicibus petebant; hanc eorum petitionem iustam esse respondet Alex. III. idèd mandat, vt prius monachos jubeant respondere petitionibus Clericorum, eòque facto in continenti compellant Clericos ad respondendum monachis super ipsorum petitionibus ac articulis, ac deinde, si partes ad concordiam redigere non possint, super vtroque negotio sententiam proferant.

## SUMMARIVM.

1. Non tantum coram Iudice ordinario, sed etiam coram delegato locus est reconuentioni.  
2. Qui alterum conuenit coram Iudice non suo, is suppositâ hac legis constitutione proferat jurisdictionem, debetque esse contentus.

ius, ut & ipse vicissim conueniri possit in causis etiam diuersis secundum quantitatem, non autem secundum speciem.

3. Clericus, vel etiam laicus coram iudice seculari reconueniri non potest in causa spirituali, aut annexa.
4. Nec coram eo Clericus in causa criminali.
5. Communior est D.D. sententia, quod Clericus in causa merè civilis coram iudice laico conueniri possit.
6. Spectato iure, clericus in causa civilis coram iudice seculari reconueniri non potest.
7. Reus conuentus volens reconuenire actorem, debet id facere ante litis contestationem, vel statim post eam, antequam ulterius procedatur.
8. Actor alias privilegiatus reconuentus à reo non potest liti à se intentata, reo invito, renuntiare, licet lis nondum contestata sit.

**N**OTANDUM I. Non tantum coram iudice ordinario, sed etiam coram delegato locus est reconuentioni, ita etiam habetur in *Authent. C. De sententiis & interlocutionibus*. Ratio est, quia qui sponte eligit sibi iudicem contra alterum, is pati etiam debet, ut alter contra ipsum eundem sibi iudicem deposcat. *l. penult. ff. de sententiis & interlocut.* quanquam id primitus Papiniano visum fuerit in eodem negotio seu causa, ita ut qui alterum actione mandati conuenit, etiam mandatario in eodem respondere teneatur, si quid fortè causà mandati expendit; sed Imperator Iustinianus extendit in cit. *Authent. placitum Papiniani*, quod reus conuentus actorem suum non solum super eadem, sed etiam diuersà causà statim reconuenire possit apud eundem iudicem, ita ut reus contra ipsum tanquam incompetentem excipere nequeat, addit verò Iustinianus, licet reus conuentus non obligetur actorem suum reconuenire (quia nemo ad agendum compellitur, tit. *Ut nemo inuitus agere &c.*) si tamen eum vicissim conuenire velit, quod id agere debeat coram eodem iudice; quia coram alio non admittetur, nisi lito illà, quam actor mouit, per sententiam termina-

tà, & hæc etiam secundum jus canonicum procedat cum limitationibus postea adducendis.

Obiicies, quod delegatio stricti juris esse censeatur, idèoque non extendenda de personà ad personam, aut de casu ad casum. *c. P. & G. 40. de off. delegat.* Resp. hanc extensionem utroque iure fieri propter æquitatem, quod ægrè ferre non possit, ut qui iudicem pro se impetrauit, eundem etiam pro se sustineat. *c. Dilectus 6. De arbitr.*

Corollarium. Qui alterum conuenit coram iudice non suo, is supposità hac legis constitutione prorogat jurisdictionem, quia contentus esse debet, ut & ipse vicissim conueniri possit. Ita *Bartolus, Maranta de ord. iudiciario p. 4. dist. 6. n. 23.* qui rectè admovent, id intelligendum esse de prorogatione, quæ fit erga personas alioquin jurisdictioni non subiectas, juxta *l. Est receptum. 14. junctæ gl. v. ius dicis. ff. De jurisdictione*, ubi dicitur, quod etiam maior possit ita se subicere iudici minori. Sin autem loquamur de prorogatione seu extensione ad causas alioquin iudici non competentes, tunc est distinguendum, utrum sit diuersitas secundum speciem, an secundum quantitatem. Hoc posteriori casu concessa est prorogatio per reconuentionem, ut si iudex constitutus sit ad iudicandum de causis non excedentibus 100. duggatos, poterit is de maiore etiam summâ cognoscere per viam reconuentionis. *argum. l. Si idem 11. §. Sed etsi. ff. De iurisdic. & tradit Maranta n. 24.* nam talis prorogatio ad quantitatem maiorem, partium expresso consensu fieri potest, *l. De quâ re. 74. §. Iudex. ff. De iudic.* ergo etiam consensu tacito, sin autem causarum diuersitas sit secundum speciem, tum prorogatio seu extensio jurisdictionis fieri non potest, nam ea ad similia tendit, seu quæ eiusdem generi sunt, uti etiam Durandus docet *lib. 2. part. 1. tit. de reconuentione. §. Nunc dicamus.*

Exempla sunt, si iudex pedaneus constitutus sit ac iudicandum de causis minoribus tantum, non potest conuentus coram eo actorem reconuenire in causâ meri, aut mixti

m

impe-

imperii, vel in quâ agitur de hominis statu ac libertate: & conuentus coram iudice constituto ad causas tantum ciuiles, non potest reconuenire alterum in causâ criminali.

Neque his obstat, quod iudex, qui de causâ ob eius arduitate cognoscere principaliter nequit, cognoscere tamen possit incidenter *l. 3. C. de iudiciis. & 2. C. de ord. cognitionum*, ubi ponitur exemplum, si quis hereditatem petat, & excipiatur coram eo quod sit seruus, idè ob que incapax hereditatis, quod iudex de statu hominis incidenter cognoscere possit, ergo simili modo iudex pedaneus cognoscere poterit de causâ maiore per reconuentionem, cum veluti per accidens in iudicium veniat. Resp. cum Marantâ *l. c. n. 26.* negandam esse consequentiam, quia causa reconuentionis non est necessariò connexa cum causâ conuentionis, ita vt hæc absque illâ expediri nequeat, sicuti frequenter causa incidens necessariò prius expediri debet, quàm ad causam principalem procedatur, cum verò iudici causæ principalis permixtum est, vt de incidente cognoscat, priusquam principalem aggrediatur, dummodò cognitionis de principali capax sit, sicuti explicatur in *c. tuam, 4. ff. de ord. cognis.* habemus igitur vnam, eamque potissimam exceptionem, quod prorogatio iurisdictionis ratione reconuentionis fieri non possit ad causam alterius generis vel altioris indaginis. Alias verò exceptiones reperies apud Durandum *cit. §. Nunc dicamus. Marantam. n. 28.* videlicet si causa, pro quâ agitur, notoria aut liquida sit, ita vt solum oporteat sententiam ferre, vt Baldus obseruauit in *auth. & consequenter n. 8. c. De sententiis & interlocut. Marantan. 31.* ubi exemplum afferunt de instrumento debiti, quod vel ex formâ verborum, vel ex vi statuti paratam habere debet executionem in bonis debitoris. Item. Si officium iudicis extraiudicialiter impleretur, vt cum petitur testamentum aperiri, donatione decreto iudicis confirmari, possessionem sibi manu armatâ conferuari: præterea si causa propter periculum celerem expeditionem desideret, vt videre est apud Menochium de *arbit. 99. casu 44.* in fine, aut cum aliquis

suam aut suorum iniuriam in iudicio persequitur, *l. 2. §. Sed etsi. ff. De iudiciis.* denique in causâ appellationis reconuentioni locus non est, quia iudex appellationis ex necessitate quadam aditur propter iniuriam iudicis à quo de qua re quam videri potest *Maranta. n. 15. & seq.*

Restat autem præcipua controuersia, si Clericus laicum coram iudice suo conueniat, num per modum reconuentionis & ipse coram eodem iudice respondere cogatur. 3  
Resp. & Dico I. Certum est, quod Clericus veletiam laicus coram iudice seculari reconueniri non possit in casu spirituali, aut annexâ, nam iudex secularis de tali causâ cognoscere non potest incidenter *c. Tuam supra cit.* ergo multò minùs per modum reconuentionis.

Dico II. Certum etiam esse, quod Clericus coram iudice seculari reconueniri non possit in causâ criminali, siue agatur ad poenam criminalem: siue ciuilem, ita docent Canonistæ *c. unico. de Cleric. Coniug. in 6. Ioan. Andr. hic n. 3.* nam prorogatio iurisdictionis per viam reconuentionis fieri non potest ad genus causarum omninò diuersum, cuius iudex etiam incapax est: tales autem sunt causæ criminales Clericorum & Religiosorum; quia iurisdictionis & iudicium circa personas Deo sacratas non minùs imò magis Ecclesiasticum est intrinsicè & ex obiecto, quàm illud, quod est de sacris vasis, iure patronatus &c. ergo iurisdictionis iudicis laici non potest se ad has causas extendere, idque nec incidenter quidem, vt hic docet Felinus *n. 10. Ioan. Andr. c. At si Clerici. n. 14. de iudiciis.*

Dico III. Communior est DD. sententia, quod clericus in causâ merè ciuili coram iudice laico conueniri possit. Ita *gl. hic. verb. super. Ioan. Andr. l. c. n. 14. Decius n. 25. Bartolus in eit. auth. & consequenter. n. 19. Barbat. n. 25.* quamobrem hæc sententia & praxis damnari non potest, tum propter DD. auctoritatem, tum propter plurium regnorum consuetudinem, quæ præter immemorialis temporis decursum (quod solum in hoc casu non sufficeret ad præscribendum) habet etiam scientiam & tolerantiam Pontificis.

Dico 4. Spectato iure, vera est sententia, Abbas

quam tenuit Archidiaconus in *cit. c. unico. Abbas hic n. 22.* quòd Clericus coram iudice seculari ne quidem in causâ civili reconueniri possit. Probat: A regula generali prohibitoria discedere non licet, nisi habeamus casum in iure exceptum, *c. 2. de translatione Episcopi. c. 1. de supplenda neglig. Prælat. in 6.* Est autem regula generatim prohibitoria, quòd Clericus à iudice seculari etiâ in causâ civili iudicari nequeat, ut passim videre est, præsertim causâ *1. q. 1. & quòd nec inuiti nec voluntariè subicere se possint iurisdictioni iudicis laici etiam in causâ civili. c. Si diligenti. 12. de foro competente*; ab hac autem vniuersali prohibitione casus reconventionis exceptus non reperitur; cum enim in iure canonico reconuentio approbatur, sermo est de foro Ecclesiastico, seu de partibus coram iudice Ecclesiastico contendentibus, non coram seculari. At verò Iustinianus Imperator, qui primitus legem reconventionis introduxit, ita ut actor alioquin exemptus à iudice, coram quo litigat, iudicium contra se quoque sustinere debeat, non potuit id statuere, nisi erga subditos suos, non item erga Clericos omnimodè à foro seculari exemptos. Sed nec Ecclesia tales leges civiles, quatenus Clericis onerosæ sunt, & libertati Ecclesiasticæ aduersantur, suscipere solet, ut dixi in *c. Ecclesia. de Constitut.* Quòd verò aliqui existimant legem illam Iustiniani canonizatam fuisse in decreto Gratiani, *3. n. 8. c. 1. §. Nullam.* nimis ridiculum est, cum verba illa Codicis ad epistolam Zephirini Papæ I. non spectare, sed insigni alicuius inscitia adiectam esse manifestum sit.

Confirmatur ex *c. 1. de juramento calumnia*, ubi tamen si utroque iure statutum sit, ut in exordio litis iuramentum calumniæ ab omnibus præsterur, quia tamen speciatim reperitur, ne Clerici jurent (intellige coram iudice seculari) rectè exinde tum Imperator Henricus, tum Honorius II. collegerunt, & interpretati sunt, Clericos à juramento calumniæ immunes esse oportere.

**OBIECTIO I.** Id naturaliter æquum est, ut qui à me quidpiam coram iudice petit, para-

tus esse debeat, ut & ego vicissim postulem, quod mihi ab ipso petetur, cum par vtriusque litigantium conditio esse debeat. Resp. Vel loquimur de eodem negotio, eoque merè civili, tunc fateor, quòd iudex laicus in causâ, quam Clericus coram ipso proposuit, cognitionem habeat, si quid à reo per modum exceptionis opponatur, v. g. compensandi in iure, aut si quid per modum connectionis petatur, videlicet, ut expensæ litis solvantur, de talibus iudicem secularem aduersus Clericum cognoscere æquum est, uti monet *Imola cit. c. At si clerici. n. 5.* quamuis executionem sententiæ facere non possit contra Clerici personam, seu ipsum personaliter compellere ad soluendum, cum id à proprio eius iudice fieri conueniat, uti hic docet *Felinus n. 10.* Vel loquimur de causis diuersis & minimè connexis, tunc æquitas naturalis id non postulat, quando partes contendentes sub magistratibus omninò diuersis positæ sunt; potest enim dicere actor Reo conuenio, sicut ego te conuenio coram tuo iudice, ita, si quid querelæ habes, conuenias me coram iudice meo, & par erit vtriusque conditio.

**Obiectio II.** Si clericus à laico coram iudice Ecclesiastico conuentus sit, potest vicissim clericus laicum coram eodem iudice conuenire, ergo & laicus clericum coram iudice seculari. Resp. nego consequentiam, quia iudex Ecclesiasticus est capax iurisdictionis super personas laicas, & potestas secularis talem reconuentionem non prohibet; at verò iudex secularis censetur esse incapax.

**NOTANDVM I.** Reus conuentus, si actorem reconuenire velit, facere id debet ante litis contestationem, vel statim post eam, antequam ulterius procedatur; tum verò ita procedet iudex, ut super causâ conuentionis prius lis contestetur, & in continenti, id est, priusquam ad alia pergatur, litis contestatio fiat super causâ reconuentionis. Ulterius respondeat reus ad positiones actoris, eoque facto vicissim etiam actor respondeat ad positiones Rei, & sic deinceps vsque ad sententiam, quæ simul seu eodem contextu & ex eadem scriptura à iudice proferri de-

bet, alioquin à processu & sententiâ eius appellari potest. Ita sumitur ex hoc *c. juncta gl. verb. in continenti, & ex Auth. de Executorib. §. Sancimus. collat. 7. & cit. Auth. Et consequenter. juncta gloss. Bart. n. 12. & ex l. Qui prior. 29. ff. de judiciis.*

Rectè tamen *Bart. admonet l. c. Francus in 4. 3. §. Reus. de rescript. in 6.* quòd Reus actorem etiam in progressu litis usque ad sententiam definitivam convenire possit, ita ut de incompetentiâ judicis nequeat opponi, non tamen cum hoc privilegio, ut utraque causa conventionis & reconventionis simul tractandæ sint, sed unâ expeditâ, ad alteram progressus fieri debeat. Ita colligitur ex *cit. c. 3. & cit. Auth. Et consequenter.*

§ Corollarium. Si actor alioquin privilegiatus seu exemptus, à reo reconueniatur, non potest deinde liti à se intentatæ Reo invito renuntiare, tamen si lis nondum contestata sit, ita docet *Baldus in cit. Auth. Et consequenter, n. 14.* quia jus acquisitum est reo, quando ab ipso actor per legitimam reconventionem occupatus est, ergo is pati debet, si reus velit, ut causæ simul examinentur ac definiantur.

## CAPITVLVM II.

## Prudentiam.

## PARAPHRASIS.

Si alicui iudici à Papâ causa delegata fuerit, remotâ appellatione, & Reus eorundem eodem iudice actorem reconuenierit, quæritur, utrum causa reconventionis similiter expediri debeat, remotâ appellatione, ita ut Actor audiendus non sit, si appellet. Affirmatiuè respondit *Cælestinus III.* Quia Actoris & Rei eadem conditio esse debet, & quomodo sibi iusticiam administrari desiderat

Actor, ita contentus esse debet, ut iusticia erga ipsum administraretur.

## SUMMARIUM.

1. Clausula opposita in rescripto conventionis, ut procedatur appellatione remota, obseruari debet etiam in causa reconventionis.
2. Modus procedendi in causa reconventionis imitatur modum procedendi in conventionione.

NOTANDVM Vnic. clausula appositâ in rescripto conventionis, ut procedatur, appellatione remota, obseruari debet etiam in causâ reconventionis. Id verò gl. finalis intelligit duntaxat, si ad instantiam partis rescriptum cum tali clausulâ datum sit, sed magis placet sententia *Imole hic. n. 1. Abbatis n. 8.* idem dicendum esse, tamen si motu proprio Principis clausula appositâ fuerit ob rationem textûs, quia quo jure Actor utitur aduersus Reum, etiam erga ipsum procedi debet.

Imò hinc generalis regula inferitur cum *Abbate, Imola, Felino,* quòd modus procedendi in conventionione, siue, quòd causa reconventionis ex ciuili & canonici juris constitutione æquiparata est causæ conventionis, idque propter connexionem, quam habent, ut simul tractari ac defini debeat. Quamobrem, si causa conventionis summaria tantum fuit, etiam reconuentio ita expediri debet, licet alioquin ordinarium processum postulare, sicuti docet *gl. in Clem. sape. verb. si quid petere. de verb. signif. Abbas hic. n. 10.* quamuis non pauci contrarium sentiant, inter quos *Durand. tit. de reconuent §. Nunc dicamus. n. 11.* deinde si Reus vigore rescripti tractus fuit ultra duas dietas, aut 12. leucas, potest etiam ipse eodem fauore uti aduersus Actorem, uti hic Abbas monet.